H 1212

Inv. 1358

400

DISCEPTATIO LEGITIMA

IN CONTROVERSIA
MOTA INTER
APOSTOLICÆ CAMERÆ
Cognitorem, Actorem,

41. Ex libris Stae Genovefae parisiensis. 1742

ET EMINENTISSIMOS
CARDINALES BARBERINOS,
EXCELLENTISSIMUMQUE
Urbis Romæ, Præfectum, Defensores.

M. DC. XLVI.



Am Cardinalis Antonius Barberinus Gallias petiturus, quò illum Christianissimi Regis humanissima monita euocabant, Roma discesserat, vbi grauiores ipsum in dies iactabant iniuriæ, & duriora circumstabant pericula: Iam Regia stemmata suarum postibus ædium gens Barberina præfixerat, cùm exiit Innocentij X. mandatum seu breue Cardinali Sfortiæ inscriptum; cui scilicet vt principali disceptatori, vnà cum quinque allectis Adsessoribus, potestas facta est à Cardinalibus Barberinis, necnon ab Vrbis Præfecto, publicæ pecuniæ rationes expostulandi atque reposcendi. Vt autem hæc sic informata causa inoffensum tenere cursum, ac nulla inhibente remora forensi, ad clausulam perduci posset; his Iuridicis Pontificiis nominatim conceptísque verbis edicitur, vt quacumque appellatione de medio sublata, imperium iudiciale confestim sibi arrogent, atque summæ controuersiæ cognitionem suscipere diutiùs non differant. Quia verò ex formulari iure dies Reis erat dicenda, placuit vt ipsa in ius vocatio, etsi in Acie campi Floræ tantùm indiceretur, æquè rata solennísque haberetur, ac si præsentibus vel audientibus esset denunciata. Cæterùm, hoc ipso mandato, quo selecti sunt iudices cum summa & Dictatoria potestate, Lazarus Bottus publici iuris vindex nuncupatur, hoc illi cum primis dato præcepto, vt posthabitis Bonifacij, Generalísque Concilij de vsu diætarum constitutionibus, acri

contentione litem vrgeret, nec quiesceret donec lata esset sententia litis decretoria. Ac ne fortè frustratione aliqua iudicium extraheretur, definitè derogatum est quibuscumque Canonicis Sanctionibus, statutis, moribus, priuilegiis, syngraphis, literísque Apostolicis, quibus defensores Actoris publici intentionem præscriptione peremptoria possent depellere.

Cùm ergo ille rem exequi adortus inprimis postularet, vt ex auctoritate mandati, tàm in præsentes quàm in absentes indesinenter inquireretur; huic occurrens petitioni Cardinalis Francisci Barberini Procurator, clientem suum nullius pecuniæ publicæ suppressorem aut interuersorem, Pontificio mandato, cui non erat adscriptus, teneri pernegabat. quatenus tamen in illius ambitum aliquo modo conclusus videri posset, palàm ille testabatur, se iurisdictionis imperium accipere, ipsisque iudicibus futurum audientem. Eodem in vestigio, Cardinalis Antonij Barberini Procurator testatò reclamabat, & obnixè intercedebat quominus aliquid fieret extrà numeros iudicialis formulæ, ac nisi parte præsente, aut eâ saltem ad dicendam causam legitimè euocatâ. Præstò similiter aderat Vrbis Præfectus, atque omissis omnibus moratoriis exceptionibus, nullis se rationibus reddendis obnoxium esse coram contendebat. Id verò liquidò constare, vel ex eo quòd vix vllus vnquam suis in supremæ militaris præfecturæ munere decessoribus hac de re quæstionem facere ausus esset: Tùm quòd, sicuti Cardinales Barberinos, ita etiam ipsum æterna dignus memoria Vrbanus VIII.

ab omni ponenda ſubducendaque ratione hactenus pro ſumma vindicauerat poteſtate. At etiam immeritò illum interuerſæ pecuniæ publicæ reum poſtulari, cùm inſolens omninò eſſet, vt ea qua pulſari ſolent actione militaris ærarij Quæſtores, hac eadem & ſummi quoque exercituum moderatores tenerentur. Quibus ille tandem præſcriptionum præſidiis fretus, omni cunctatione circumciſa, paratum ſe iudicium perferre, Pontificiæque iuriſdictionis faſcibus totam ſummittere cauſam, non obſcurè profitebatur. Nec ideò tamen refrigeſcit Cognitoris Pontificij pertinax inſtantia. Frequentibus ille libellis poſtulat, litem agit præcipitem, & omnium horarum exactor acer, non priùs omittit contra Reos niti, quàm euocati fuerint ad præſentem Rationalium Tabularum exhibitionem.

Hoc itaque iudicio laceſſitus Cardinalis Franciſci Barberini Procurator, non alio defenſionis ſubſidio fulciendam putauit cauſam, quæ tanta laborabat inuidia, quàm ſi diceret iniquè agi cum cliente ſuo de ineundis, ſubducendíſque Rationibus, cùm in adminiſtranda Prouincia, quam illi Vrbanus VIII. impoſuerat, nec alienum occupauerit officium, nec vllo vnquàm Quæſtorio munere perfunctus fuerit. Sin autem factum contrà Actor intenderet, id certè ex literis conſignatis, inſtrumentíſque plenæ ac iuſtæ fidei demonſtrandum eſſe; ac ni fecerit, in ipſo iudicij limine, excluſoria præſcriptione repellendum. Cæterùm ſi quid ita fuerit actum vti lege fieri non licuit, quò iniqui iudicij ſarciatur iactura, ſe

ad ſummum Pontificem tanquam ad Aram prouocationis confugere, illiúſque fidem & æquitatem ſuppliciter implorare palàm denuntiat. Sed & viciſſim interueniens Cardinalis Antonij Procurator, repetita ſubinde proteſtatione, abſentiam clientis excuſat, rerum in iudicium deductarum ignorantiam obtendit, ac demùm eam poſtulat iudicialis diei prorogationem, quæ ad parandam defenſionem, & ad conquirenda cauſæ ſubſidia poſſet ſufficere. Id verò eo magis abſenti ſupplici concedendum, quòd hactenus illi abſciſſa eſſet omnis ſpes exercendę appellationis. Ad poſtremùm in eandem ſe penitùs demittit cauſam Vrbis præfectus, qui etſi nullis ſe Rationum reddendarum nexibus obſtrictum non ignoret, operam tamen ſuam Actori publico commodare non recuſaſſet, vt à Quæſturæ Præpoſitis ederentur Rationum Breuiaria, relata quæque in Tabulas ad calculos reuocarentur, & acceptorum expenſorúmque capita quæcumque ex fide percontarentur atque diſpungerentur. Sed cùm id quidem ex continenti, ac intrà tàm anguſta temporis ſpatia fieri minimè poſſet, vel ipſam iuris æquitatíſque rationem poſtulare, vt ampliata diſceptatione dies iuſti ſtatíque dilationum, vt aſſolet, indulgerentur.

Inter hæc proferuntur in medium quædam à Barberinis Cardinalibus, & ab Vrbis Præfecto, de rei militaris munimentis & apparatu tamen, perſcriptæ literæ, ex quibus Actor tanquam ex locupleti probatione, auerſæ interuerſæque pecuniæ crimen manifeſtè compertum eſſe arguit. Nec in hoc tantùm

incumbit, ſed dum cauſæ ſupplementa vndique comparat, copiam facit cuiuſdam commentarij ſiue catalogi, in quo tributa quæ in belli ſubſidium VRBANVS inſtituerat, ex ordine recenſebantur. Vrget interim & inſtanter poſtulat, vt accepti & impenſi edantur Tabulæ, ſubducantur Rationes, præſtentur reliqua, & omnia quæ vel ex iure ſunt, vel ex formulis Apoſtolicarum Sanctionum impleantur; ea ſe porrò lege certaturum denunciat, vt ni intrà dies quindecim Tabularum editio celebretur, hactenùs eo nomine commiſſæ pœnæ pecuniariæ congeminentur. Ex aduerſo inculcatur, Cardinalem Franciſcum Barberinum nulli ſe vnquàm geſtioni Rationibus reddendis obnoxiæ immiſcuiſſe, impoſitam ſolùm Imperij Eccleſiaſtici ſummam præfecturam ſic adminiſtraſſe, vt nihil non Vrbani auſpiciis factum deprehendi poſſit. Quamquàm verò idonea, rectáque æquo cuique Iudici videri poſſet hæc depulſio, reclamante tamen Iuris legúmque voce, licèt exhibitis rationibus, in quingenariam mulctam diebus ſingulis, & à ſingulis Reis pendendam, eos incidiſſe pronunciatum eſt.

Et cùm Rationales libri hactenùs à Quæſtoriæ Rei Præfectis in Apoſtolicæ Cameræ Chartophilacium fuiſſent relati, expoſtulant Procuratores vt horum fiat eis copia, ſaluo iure præſcriptionum, ſi è re Partium fuerit hanc literarum auctoritatem argumentis refellentibus carpere ac labefactare. Cæterùm nec iure, nec legibus factum eſſe, vt coaceruatis cumulatíſque mulctis, tàm graues in abſentes pœnæ diſtringerentur. Contradicit Actor publicus, & hac potiſſi-

mùm ratione exceptionem eleuat, quòd ablatæ, auersæque pecuniæ crimen manifestò compertum esset; comperta autem publicæ auctoritatis vim obtinere, cùm inde fluxerit vulgatum hoc inter circumforaneos homines effatum, *nihil aliud esse notorium quàm probatam probationem.* Quæ quidem etsi vsu forensi recepta non diffiterentur Procuratores, vt aliena tamen à præsenti disceptatione refellebant. Maxime verò cùm palàm esset, neminemque lateret, non quidem Barberinos, sed Lomellinum, Caraffam, aliosque Ærario militari à summo Pontifice Vrbano præpositos fuisse. Ac neque his tantùm Castrensis Annonæ curam demandatam, sed etiam Argentarias tabernas, ad quas publicæ transmitterentur pecuniæ, institutas atque assignatas. Ad postremùm adscitos etiam Subquæstores & Auxiliarios, quibus incumbebat in Tabulas Rationes transferre, eorúmque nomina edere in quos ex præscripto Pontificiæ spargerentur pecuniæ.

Prætereà cùm fortè inter has litis prolusiones, Cognitor Pontificius iactaret laudaretque auctoritatem constitutionum, quibus cautum est, vt qui de ablatis aut auersis pecuniis postulantur, non aliter quàm cum omnibus causæ subsidiis ac copiis auxiliaribus in ius adire, & ad constitutum venire præsumant: Ex opposito referebant Procuratores, eiusmodi Sanctiones Pontificias in eos tantùm latas esse, qui ex iniuncto munere, aut ex officio recepto acceptorum & impensorum codices conscribere atque conficere tenentur. Cùm verò in eodem litis articulo, literarum

publicarum copiam facere detrectaret Actor, eo colore quòd ex Pauli III. constitutione, ad edendum aut exhibendum Apostolica Camera nunquam erat compellenda; replicabant illi Paulianam hanc sanctionem, quæ eos tantùm includebat à quibus Camera Officij gesti rationem solet reposcere, ad summos ditionis Ecclesiasticæ Præfectos, aut ad Duces exercituum non esse proferendam. His vltrò citróque dictis, Cognitor tandem totius causæ firmamentum in literis à Cardinalibus Barberinis, & ab Vrbis Præfecto perscriptis, collocabat. Contrà verò, ad hoc munimentum euertendum, satis esse putabant Procuratores, si quo modo, quò loci, quavè fide pecuniæ publicæ fuerant depromptæ, asportatæ, ac tùm Mensariis, tùm Quæstoribus creditæ, certis docerent probationibus.

Atque hæc sunt quæ à Procuratoribus continenter inculcabantur; sed surdis fori Numinibus vota nuncupabant; summotis siquidem his omnibus iuris & æquitatis exceptionibus, Iudicum decretis facta iunguntur, & Reorum pignora iniecta manu capiuntur, & eorum bona Authore Prætore obsignantur, sequestro dantur, aut ex edicto possidentur. Vltima supererat iudicialis naufragij tabula, nimirùm à Pontificiis Disceptatoribus ad ipsum Pontificem summum, non moræ sed auxilij gratia, interposita prouocatio, sed ei quoque supplicandi ac de illatis noxis conquerendi aditus omnes postulatoribus non solùm negati, sed etiam præclusi sunt. Illi ergo rebus penè omnibus exuti, & inimicorum factionibus vndique circum-

uenti, & hac demùm experientia edocti quàm nihil præſidij ſacratæ leges haberent apud ſuſpectos Iudices, quos eiurare per metum non licuerat, non ſuæ tantùm dignitati, ſed etiam ſecuritati conſulendum eſſe putauerunt. Itaque dum commune periculum cogit quod quiſque poſſit in re trepida ſubſidij in medium conferre, vnica ſalus viſa eſt erumpere hinc, atque vrbe diſcedere: eos inter exteras gentes adituri, qui ſibi in afflictis ſuis rebus auxilio venirent. Neque enim manerent, an abirent deliberandum erat, cùm in hac diſſolutæ iuriſdictionis perturbatione, conſumptis omnibus iuris & æquitatis perfugiis, præter ſpem & animos nihil illis iniqua iudiciorum fortuna reliqui feciſſet. Prolatis ergo rurſum Rationibus, & interpoſito ex formula Paulianæ conſtitutionis de fraude iureiurando, foro tandem vrbéque ceſſerunt, donec deflagrauerit periculum, & in locum iræ, quæ adhuc aggeſta audauctaque rurſum quingenaria mulcta acerbè erupit, ipſa demùm ſubierit iuſtitia.

Conſtit. Paul. III.

Hæc eſt huius cauſæ, vnde ius oritur, mihi hucvſque cognita coniectio atque conſtitutio, quæ licet ex earum numero non ſit, quas Africanus τῶν ἀπόρων, & ex perplexis eſſe dixit; vt illa tamen faciliùs euoluatur, omnes litis articulos ſcribendi ſerie connexos, ad certas iuris Quæſtiones reuocandos hunc in modum cenſuimus.

Vtrùm Cardinalium Barberinorum & Vrbis Præfecti abſentia crimini danda veræque contumaciæ ſit adſcribenda.

 4

Vtrùm illi iustam ob causam Vrbe, atque Patriâ cesserint.

Vtrùm ad partes defensionis suæ exhibendas, ritè rectéque ex iure formulario in iudicium fuerint euocati.

Vtrùm ad obeundum vadimonium, vltrà dilationum dies legitimos, ex æquo & bono ampliari causa debuerit.

Vtrùm pecuniariæ pœnæ quibus illi mulctati sunt, ex præscripto legum fuerint irrogatæ.

Vtrùm in eosdem reddendarum Rationum actio iure data videatur.

Vtrùm actione ad edendum, instrumenta litis decretoria proferre, eorúmque Reis copiam facere, Apostolica Camera teneatur.

Vtrùm denique à Pontificiis iudicibus, vnde prouocatum erat, ad ipsum Summum Pontificem licuit appellare.

Ac primùm quidem nemini Iurisperito non potest non innotescere, summo semper iure agendum esse cum præfractis illis contumacibus, qui nulla legum voce, nullo Magistratuum imperio, vt præsentiam sui faciant, aut adduci, aut compelli possunt. Vt hinc potiùs eorum licentia & impotentia inualescens, diuturnaque impunitate gliscens, tandem ad iurisdictionis contemptum, legumque ludibrium exeat ac erumpat. Cùm ergo illi calculum de seipsis permittant, nec alieno vt præsentes, sed suo pereant iudicio, ipsa suadet Ratio vt pro confessis, iudicatísque Reis habeantur. Et verò toties in ius euocatos non venire,

non ſe ſiſtere, quid aliud eſt quàm obiectum facinus confiteri? quàm intentatum crimen exhibere, & ad ipſos iudicum oculos haud cunctanter deducere? Ipſa certè contumacia, quæ ſuperbiam arcto ſibi societatis fœdere ſolet deuincire, ſecundum crimen eſt, aut ſaltem primi criminis plena conſummatio. Vt ergò obſtruantur aliquando fugitiuorum ac ludificatorum perfugia, publicè vtile fuit eos tandem de gradu defendendæ cauſæ ſummouere atque depellere. Quiſquis enim fruſtratorem, legúmque contemptorem ſuo tuetur præſidio, non abſolutionem ſceleris, ſed licentiam petere videtur. Tanto quippè, támque inexorabili odio digna ſemper viſa eſt contumacia, vt ex quo primùm colores ac figuras ipſa etiam iudicia receperunt, expedita quadam fictione Iuriſperitorum ingeniis excogitata, contumaces perinde habiti ſunt, quaſi præſentes hærerent in iudicio.

Quamquàm verò hæc iam olim obtinuerint vbicumque Prætor ſalua Maieſtate Imperij ſui ius dicere conſtituerat, non tamen in abſentes quoſcumque vindicibus agitur legibus, nec in eos tanquam in certæ & abruptæ contumaciæ reos, acerbioris iuris pœnæ diſtringuntur. Eſt etenim legitima quædam inobedientia, quæ à magnitudine animi inducta, iniuſto neſcit obtemperare imperio; ſunt & inſontes quidam profugi, aut emanſores qui vadimonium, ipsámque litem in iudicium deductam audent deſerere: & tamen ex ſplendidiſſimi Papiniani Reſponſo, & eorum admitti debent excuſationes, & ipſo-

l. inter l. penult. ff. de public. Iudic.

rum Iudicum differenda eſt ſententia. Et quidem cùm inter abſentes incerta ſit admodùm Cognitio, & abſque audientia reis facta, liquere de cauſa non poſſit; non tulerunt ciuilis ſapientiæ arbitri, quemquam inauditum damnari, ſed in ipſo etiam contumaciæ iudicio, causâ cognitâ opus eſſe reſcripſerunt. Quinetiàm vbicumque abſens damnari poteſt, ibi quemuis pro eo verba facientem, & abſentiam excuſantem audiri æquum eſſe pronuntiauit egregius ille honorarij iuris Interpres Vlpianus. Quo fiebat interdum vt abſentes qui ad præſtitutam diem non venerant, è reis tamen eximerentur, & poſt actam à Patronis cauſam, omnibus planè noxis ſoluerentur, ac vt ita dicam, citrà pulueris forenſis tactum victoriam reportarent. Certè Q. Ligarij abſentis fortunas & famam præſidio legis defendit olim M. Tullius; & Deiotaro Regi, qui procùl aberat, luculentam & inuictam, vel ipſo ſedente Cæſare, præſtitit aduocationem: & Lentulus Getulicus ſolis literis præclaram ac magnificam apud Tiberium defenſionem patefecit, & à ſe quod obiectum erat crimen, repulit & auertit. Sed & placuit nulla præfiniti ſtatique temporis præſcriptione, abſentes reos requirendos à propugnandæ cauſæ copia ſummoueri, quin priùs à Præſidibus Prouinciarum per literas ſæpiùs moniti, repetitis ſubinde edictis, ad Prætoris tribunal fuiſſent euocati. Adhæc anni ſpatium gratioſo quodam iure indulgebatur, quo nimirùm illi ad inclamata nomina commodè reſpondere poſſent, conquieſcente interim iudicis officio, donec legitimi temporis curricula deflu-

l. 4. C. de accu. ſat. l. ſeruient. §. publicè ff. de procurat.

l. abſens ff. de procur.

Tacit. 6. Annal.

Toto Tit. de Requir. Reis.

xiſſent. Itaque non quælibet abſentia huic dari debet contumaciæ, quæ Iudicis patientiam omnem exhaurit, ipſiúſque clementiæ remedium in ſcelus conuertit. Alia enim quædam eſt planè cauſaria, quæ dum iuſtas idoneaſque cauſas promit & adumbrat, ex ipſa etiam fori deſertione quandam ſibi apud Magiſtratus gratiam conciliare, atque colligere poteſt. Verbi gratia, ſi per inimicorum impotentem audaciam, ipſe locus ad quem abſentes euocati ſunt, citrà periculum adiri non valet. Si per Potentiorum moras iniectas factum ſit, quo minus illi ius dicentis imperio audientes eſſe poſſint. Si ab ambitu forenſi, à Delatorum coitionibus, & à gratiæ obnoxiis hominibus, in ſollicitum metum adducti atque compulſi ſint. Si vis quædam maior interueniens, & ad diem ſiſtendi vadimonium, & vltima iudicij experiendi auferat libertatem. Si denique in multa rerum perturbatione, improbæ criminationi ipſorum quoque iudicum acceſſerit indignatio. Miſera quippé ac planè iniqua eſt eorum conditio, quibus apud exacerbati animi Quæſitores, non eſt periculoſius tacere, quàm cauſam dicere.

Iam verò ſi omiſſo Quiritum, Cæſarúmque iure, vel ipſis Summorum Pontificum ſcitis atque ſanctionibus de controuerſia diſceptandum ſit; occurrit inprimis Bonifacij ſolenne decretum, quo culpa pœnaque abſoluuntur abſentes omnes, qui non ex formulis, nec peractis iuſtis iudicialibus, in ius vocati fuerint. Suffragantur Alexandri, & Innocentij Reſcripta, quibus cauſarum Diſceptatores momenta omnia

Can. decernimus 3. qu. 9.

Cap 1. de dol. & contum.

æquitatis, quæ eſt iuſtitiæ maximè propria, iubentur expendere, quoties aliquis ſacris addictus inter reos refertur, & à Delatoribus lege poſtulatur. Neque enim patiuntur Summi Pontifices contumaciæ damnari eum, qui iuſtam aliquam abſentiæ cauſam obtendere poteſt. Durioris certè iuris neſcia eſt Eccleſia; è tribunali ſeueritatis, in conſilium æquitatis non inuita deſcendit, & cùm benefica ſit illius manus, nunquàm niſi tremente calamo reis pœnas inſcribere ſolet. Itaque cùm olim vir beatiſſimus Chryſoſtomus (cui nihil ad laudem quàm ipſa criminatio fuit illuſtrius) ob detrectationem iudicij, vt contumaciæ manifeſtus à quibuſdam Epiſcopis damnatus eſſet; tàm ambitioſum, tamque iniurium decretum Innocentius Pontifex ſubleuatrice manu circumſcribere, atque ſanctiſſimum reum ab exilio, tanquàm à virtutis ſuæ Theatro, accerſere non dubitauit. Scilicet, non modò non imminuit iniuſta proſcriptio inculpatæ vitæ decus ſed potiùs honeſtat, nec exilium turpitudinis nomen, ſed calamitatis, nec damnatio pœna criminis, ſed iniqui iudicij nota eſt inſignita. Fidem impetrat ipſe Parenorum Epiſcopus Athanaſius, quem cùm forte accuſator veluti athleta manu conſertum in ius conueniſſet, non obiit ille vadimonium, nec certandi poteſtatem fecit. Cùm ergò illi dies iterùm denuntiata eſſet pro Imperio Antiochenæ Synodi, ne in ſuperiores ſuperbè contumax videretur, hanc recuſationis ſuæ cauſam expromebat, quod Domnus Epiſcopus, qui Patrum conſeſſui præerat, & cuius ipſe conſcientiam implorabat, graues

Cap. 1. cap veritatis, de dilat.

In Synod. ad Quercum.

illi trucéſque indixerat inimicitias. Quid plura? exceptionis præſidio mulctatur Athanaſius, conſurgitur deinde in conſilium, porriguntur calculi, ad ſuffragia decurritur, ac demùm per diſceſſionem penéque conflato iudicio, digniſſimus ille Diui Cyrilli Nepos ex Albo Pontificum expunctus, de ampliſſimo ſtatu indecorè deturbatur. Neque tunc tamen hoc ſauciata præiudicio cauſa, vltimo ſuo fato perfuncta eſt, cùm poſtmodùm in Oecumenico Chalcedonenſi Concilio iure quodam iudicialis poſtliminij, de integro reſtituta, & inſtaurata fuerit. Eò ergò loci, re accuratiùs & examine penſiore diſcuſſa, probatur Patribus Athanaſij excuſatio, decretum Synodi Antiochenæ circumducitur, & is qui à reiectis, infeſtíſque ſibi Diſceptatoribus exauctoratus fuerat, ab aliis, qui æquiores erant & poteſtatis temperantiores, ſic in gradum reponitur, vt priſtinæ redditus dignitati, exemplo palàm fecerit iniquos Iudices, qui ius fáſque exuerunt, omni crimine grauiores eſſe.

Act. 14. Concil. Chalcedonenſ. Liberat. in Breuiar.

Quæ cùm ita ſint, dicendum videtur nec legibus, nec moribus factum eſſe, cùm in Cardinales Barberinos, Principémque Præfectum, tàm ſeueris pœnis animaduerſum eſt. Non enim vt peruicaces iudicij deſertores, aut vt errones improbi ſub ſua reuocandi ſigna, fruſtratoriam captauerunt abſentiam; ſed per ambitus vim vltimam expulſi, eam quam rebus ſuis laborantibus, ſecuritatis tutelam ſibi parauerant, ſine metu amplexi ſunt. Apparebat enim illis, fidem dextramque porrigens hoſpitalis Gallia, in cuius ſinum vbicúmque violata iuſtitia, & iniuriis iactata æ-

quitas, & iudiciorum iniquitate oppressa innocentia, solent confugere. Putauerunt ergo illi nihil esse quod transfugij nomine à Romana Sede metuerent, si in hanc se reciperent communis salutis arcem, quam obuiam semper ac munitam ipsi etiam Romani Pontifices in asperrimis ac difficillimis temporibus inuenerant. Et verò si prisci iuris Conditoribus fugitiuus ille non videbatur, qui ad Cæsaris statuam asserendæ libertatis causa profugisset; quis eos in crimen iure poterit adducere, qui hactenùs in præsidium Regiæ fidei recepti, vel solo ad Christianissimum Principem aditu, tutissimum sibi perfugium pepererunt. Certè non aliqua trepidantis conscientiæ labe, nec vllius obuersantis criminis imagine factum est, vt Cardinalis Franciscus Barberinus vrbe foróque cederet. Sed nec ea mente in Galliam traiecit, vt sui furtum faceret, aut se vltrici subriperet legi. Etenim priscæ notæ integritas, & insontis vitæ comes dignitas, & fama nullis aspersa maculis, & quæ illum discedentem secuta est gloria innocentiæ, ne quidem minimam in eo suspicionem conuenire patiuntur. Sentiebat ille in primis se non tàm in ius quàm in iniuriam euocatum, nec apud suspectos & infensos Iudices, æquitati iuris locum vnquam fore reputabat. Sed nec ipsa inopinati mali nouitas, quæ calamitatibus pondus solet adijcere, ab omni metu otiosum esse concedebat. Leges quidem omnes in vota vocare, mores iudiciorum appellare, maiorum instituta interpellare, sanctissimum denique iustitiæ nomen identidem ciere non destiterat. Hoc autem quid aliud erat quàm irritis

l. 17. ff. de Edilit. Edict.

vocibus ſurdas Diſceptatorum aures ferire atque aſtrepere? Neque enim illis ſatis fuit Cardinalem ipſum omni defendendæ cauſæ, iuríſque poſtulandi facultate mulctare, niſi illi quoque aditum ipſum Summo Pontifici ſupplicandi prohiberent atque præcluderent.

Tanta quippè erat aduerſariorum potentia, tantus inardeſcentis accuſationis impetus, vt quamuis potentiſſimum defenſionis telum ſit innocentia; nulla tamen aduerſus tam ambitioſa ſuffragatorum ſtudia ſatis munita, ſeptáque videbatur. Itaque inter has Tonantis Romæ coruſcationes, nihil Cardinali Franciſco potiùs erat, quàm vt imminentem auerteret tempeſtatem, ac in eum ſe conferret portum, vbi tandem concepta littoralibus Diis vota perſoluere poſſet. Tùm verò ſubibat magnorum quondam Quiritum recordatio, qui nimirum ſola iudiciorum deſertione, non ſolùm magnas delatorum & accuſantium minas eluſerant, ſed omnem etiam inimicorum furori ſubtraxerant materiam. Accedebat ingenitus altiſſimis animis libertatis amor, quo accendente ſtimulóſque ſubinde admouente, maluit ille ſe ſubtrahere quàm inter atratos reos ſedere, quàm dignitatis & fortunæ faſtigia indecorè demittere, quàm ſe denique ante ora populi Romani triumphantibus aduerſariis deformiter traducendum præbere. Ita tamen litem in iudicium deductam deſeruit, vt in procinctu ſtare, & forenſi certamini imminere, & noxæ, cuius arguitur, obuiam ire paratus ſit, ex quo primùm refrigerata paululùm accuſatione, reſtinctáque ſæuioris

ris inuidiæ flammâ, placabiliori æquiorique fori Genio litare concedetur.

Iam verò quod ad Cardinalem Antonium attinet, terrarum orbi documento ille quidem est, neminem faciliùs opprimi, quàm qui benefactorum conscientia tutus, malorúmque impendentium cura vacuus, ipsi securitati, quæ frequentissimum est calamitatis initium, indormiscit. Et quidem ille antequam de Roma concederet, iam à Summo Pontifice assidui ministerij immunitatem obtinuerat, quò scilicet faciliùs posset primaria, quibus præest cænobia lustrare: ac proinde sui subnixus conscientia neminem illi desertionis crimen inducere posse putauit, si nullo nedum reddendarum rationum instituto iudicio, nec ea immunitate vsquam abrogata, Vrbe egrederetur. ille ergo inter desertores recenseri, aut vt Centuriensi cuidam Episcopo iam olim contigit, ex Africanæ Synodi decreto mulctari minimè debuit. Enim verò cùm nondum lite auspicata, nec commisso iudicio ab Italia digressus, in Galliam se commouisset, detrectati iudicialis imperij reus, postulari non potuit. Sanè cùm Tullianus ille Epicrates priusquam in ius vocaretur, in externam transmigrasset prouinciam, vt vadimonium differretur, & legitimi ordinis dies prorogarentur à Romano Prætore haud ægrè impetrauit. Eadem planè iuris æquitate suadente, cùm antequam Antistius ille tribunus plebis iudicium Cæsari dictasset, ille nondum inter reos relatus in Galliam fortè magnis itineribus contendisset, placuit Patribus conscriptis, vt quousque ille sui fecisset

Cap. 1. de iudic apud Greg.

M. Tul. in Verr.

copiam, interim omnis taceret apparitio, delitescerer aduocatio, ac velut indicto iustitio, ipsa etiam horrida præconis vox consilesceret. hoc nimirùm benignioris iuris subsidio, indefensis absentibus succursum est aduersus omnes subitas oppressiones, quæ procellæ more in ipsa sereni fiducia emergentes, securos quosque & inopinantes deprehendere atque disijcere solent. Etenim si præsente reo, & argumenta litis refellente, iudici tamen obrepere non admodum est difficile; quos, eo absente, dolos improbus momentorum captator, & articulorum auceps non concinnabit, non comminiscetur? fallaces sunt ex longinquo rerum species quibus credimus; cum rebus ipsis deliberandum est, nec præsentis tantùm sed vigilantis est, forenses omnes captiones atque decipulas obseruare. Sensit hoc hactenus Cardinalis Antonius, atque è Gallia iam audit & experitur, quàm durum sit negotium rem habere cum illis hominum oppressoribus, & aduersariis præpotentibus qui autoritate quasi telo armati sunt; imò cum iratis Iudicibus qui non vultum legis, sed inimicorum animos videntur induisse. Iniquè verò apud illos Reus desertæ Patriæ criminis insimulatur; non enim ille priùs in Christianissimi Regis clientelam, fidémque se contulit atque commendauit, quàm velut insitus Gallico Regno ciuis & videri, & haberi potuerit. Iactet se quantùm volet magnificentissimè, non hominum tantùm, sed etiam *Diuum domus aurea Roma*, & se vnam cunctarum gentium in toto orbe patriam esse prædicet. Non hunc illi honorem inuidemus;

ſed imperij noſtri principem vrbem, in qua nemo peregrinatur, eiuſdem planè gloriæ conſortem, non debet non agnoſcere. Illam exerto pectore, & aperto ſolutóque ſinu, ſculptores pictoréſque effinxerunt; non quidem ludentis artis caſu fortuito, ſed ex animi decreto ratóque conſilio, vt oſtenderent eam nemini alienam eſſe, ſed omnes ad ſe confugientes admittere, fouere, complecti. Cùm itaque ex Papiniani oraculo, adoptatus non mutet ciuitatem, qui ſcilicet tanquam bis genitus duas adipiſcitur patrias, non eſt cur Cardinalis Antonius velut transfuga ex lege Papia vindicetur atque repetatur. Et ille quidem primam non exuit patriam, ex eo quòd alterius nomen implorauit; ſed qui nuper Romæ iura Galliæ aſſiduus defenſor ac Tutelarius aſſerebat; nunc vicem repoſcens in ipſius Galliæ Tutela ſecurus quidem latet atque conquieſcit.

l. Ordine ff. ad Municipal. & de Incol.

Eadem eſt Principis Præfecti fortuna, idem animus, eadem conditio; nam & inter abſentes ac deſideratos inclamatus eſt, ac etiam Romæ nunc de tam inopinatæ abſentiæ cauſis inuidiosè diſceptatur. Imo verò renouatur quodammodo proterui delatoris vetus accuſatio, qui clariſſimo viro Q. Sceuolæ diem dicere, dicámque illi non alia de cauſa ſcribere auſus eſt, quàm quòd lateris deflexione, non totum corpore telum excepiſſet. Neque enim aliud quid diuerſum molitus eſt Vrbis Præfectus, cùm fuga quaſi corporis declinatione ſibi conſulere in animum induxit. Non erat ille certè tam ignarus rerum atque inſolens, vt neſciret quanta illum circumſtarent, ma-

M. Tul. pro Roſc. Ame.

nerentque dura quidem & aperta pericula, quàm imminens esset libertatis damnum; quàm iniquis denique conditionibus, cum forensi gratia pollentibus aduersariis haberet decertandum. Hæc ergo indignatus, ac ne omnem diù collectam, recentíque ira exacerbatam vim iniuriarum cogeretur excipere, cui par non erat oneri cedere, atque tam iniquæ obnoxiæque sorti obsecundare, necesse habuit. De hoc autem consilio graues cum-primis atque luculenti Authores erant summi illi Duces, qui ad causæ dictionem vocati, aut prolatos è sinu Togæ Rationum libros discerpserant; aut ne Reorum sordes ac squalores induerent, déque innocentia sua cum inimicis disceptarent, indignabundè ciuitatem mutauerant. Hac nimirùm illi tam ingenti exuperantia, hac tanta animi præstantia, non solùm accusantium pertinaciam cum magno eorum calumniæ ludibrio, cohibuerunt; sed exarmata penitùs accusatione, ipsum quoque tribunalis famosum iudicium, in Theatri plausum perhonorificum conuerterunt. Quæ est ergò ista tàm infesta ira, tàm insaturabilis cupiditas, támque acerba ministra auaritiæ calumnia; quam nec Rationalium Tabularum prolatio, nec Cardinalium Barberinorum liberum exilium, nec Principis Præfecti mœsti Penates, nec nobilissimæ castissimæque coniugis lachrimæ, nec denique eorum omnium afflictæ spoliatæque fortunæ, aut placare, aut lenire, aut explere potuerint. Videat hæc, serióque expendat, *Terrarum Dea, gentiúmque Roma,* & oppressorum vota supplicia, humilésque preces assuescat

tandem exaudire. Vix enim ſibi temperat æquus quiſque rerum æſtimator, nec poteſt non indignari tantam eſſe inter tot Metellorum, Catonúmque Nepotes, tàm ſceleratæ audaciæ, támque inſolentis calumniæ licentiam & impunitatem. Ecquis veri patiens audire poſſit Cardinales Barberinos, ac Vrbis Præfectum ex Pontificiis pecuniis ſordidum ſibi lucellum facere in animum induxiſſe, qui paulò ante tam abſtinenter ſe geſſerant, vt ſemper oblata ſibi munera raro exemplo repudiarint, ac poſthabitis Principum incitamentis & allectionibus Vrbini Ducatus ditionem ad domeſticas copias adiungere neglexerint, atque tam commodæ idoneæque rem familiarem amplificandi ac exaggerandi occaſioni imminere noluerint?

His ità conſtitutis, videamus quibus argumentis, quibus rationum momentis Apoſtolicæ Cameræ Cognitor, tam iuſtas támque idoneas abſentiæ cauſas eleuare atque euertere conatus eſt. Nititur ille primùm Summorum Pontificum Pauli IV. Leonis X. aliorúmque ſanctionibus, quibus animaduerſum eſt in quoſcumque Cardinales, qui præſentes atque per ſe ſuum obire munus præfractè detrectauerint. Sanè Theodorum Cappadociæ Epiſcopum Vigilius Pontifex eadem de cauſa in ordinem coegit; & Leo IV. eo nomine, decretorio iudicio Anaſtaſium Cardinalem ab altiſſimo dignitatis gradu præcipitem deturbauit; neque tamen his omnibus præiudiciis Cardinalium Barberinorum cauſa vllatenùs laborat. Ac primùm quidem vnicuique Paulianas, Leoni-

Cap. 1 de Cler. non reſident. apud Greg.

násque constitutiones acriter intuenti, aut illæ planè incongruentes, aut exceptionibus labefactatæ, aut exoletæ seueritatis videbuntur. Imo cùm Paulus IV. edixisset ne Cardinales vt certissimi Aaron filij, à præpotentis Dei tabernaculo vsquam abscederent, nullas tamen à desertoribus pœnas expetiit. Ac proinde Paulianum hoc decretum earum legum albo, quas imperfectas Vlpianus vocat, adscribere nemo qui modò iurisconsultorum themidem salutauerit, vsquam dubitabit. Imperfecta verò illa lex est cui aliquid prohibere sufficit, non etiam vt pœnam irroget, aut quod contra factum est irritum ducat. Tres nimirùm legis positiones, magna illa iuris decora esse voluerunt; procemium scilicet, caput, & sanctionem. Suadet enim procemium, caput edicit, sanctio verò punit. In procemio præit vtilitas, in capite lucet veritas, in sanctione viget authoritas. Itaque cùm suadentis legis nullam esse virtutem prudentibus placuerit; frustrà implorantur Pontificiæ illæ constitutiones, quæ assiduam Cardinalium præsentiam neque pœna sanciunt, neque vllo indictæ multæ compendio firmant. Non ergò eadem est ratio Cardinalium, & eorum qui olim à castrorum labore atque puluere nusquam alieni, ob perpetuam in statiuis suis præsentiam, præsentales vocabantur. Illi enim ni præsto semper essent, & imperatorum signis æternùm hærerent, & tentorium pro domo ac penatibus haberent, in pœnas legibus sancitas & indictas incurrebant. Et quidem indulgentiùs cum Cardinalibus, quàm cum Diali flamine, aut Rhodio Nauis exerci-

Vlp. in fragm.

l. Vlt. c. de offic. mag. milit. l. 4. c. de appar. mag. milit. l. 12. c. Nicephor. hist. Eccles. lib. 17. c. 1.

421

tori actum esse comperimus: neque enim illi impunè abnoctare, nec isti extrà nauim excubare concessum erat. Neque verò causa est cur hic de Anastasio Cardinale annosam ac plusquàm secularem redintegremus quæstionem. Ille enim quinquennalis desertionis reus, sine sede, sine lare errabundus ac refuga; ille inquam, Vertumnus alter, tot mentitus formas, inque tam diuersas versus facies, nullis vnquam præconiis, nullísque peremptoriis edictis, vt miles emansor, ad sua legitima castra reuocari ac retrahi potuerat. Sed & personuerant sæpenumerò aures eius hac Romani imperatoris æquissima voce, *Si vxorem dimittis, & dotem redde*, neque audiendi ille insolens, legúmque peruicax contemptor, ad nomen respondere, aut annuere dignatus erat. Vt iam admirari nemo debeat de iudicio quo in consessu Romano damnatoriis omnium Patrum tabellis exauctoratus, ac velut in militiam deteriorem datus est.

Cæterùm nihil est etiam quòd debeamus metuere ab illa Pauli III. & Pauli V. constitutione, qua sacri Collegij purpurati Patres extrà imperij Pontificij fines, absque bona venia prohibentur aberrare. Neque enim sedenti adhuc in Petri Cathedra Legislatori obtemperatum est, cùm qui sub id tempus Roma cesserant, Cardinales, non ideò tamen in intermissæ assiduitatis crimen visi sint incidisse. Accedit iam Leonina constitutio, quæ sacratæ quidem sanctionis est, cùm ni pareatur, multas illa graues pœnas minaciter incutit ac indicit. At verò non hanc Leo Pontifex impulsu suo, aut *proprio motu* pertulit, cùm plus

quàm mille Patres ad Lateranensia comitia euocati; adstantibus coram aut per se, aut per Legatos Principibus quotquot Christiana Tellus habuit, non inuiti subscripserint ac subsignauerint. Tùm etiam non in alios Leoninæ constitutionis pœnæ distringuntur, quàm in eos qui per contemptum ac impudentiam sanctioribus illudere legibus, ac ipsi etiam legislatori obtrectare non abstinent. At verò longè abest, sempérque abfuit à Cardinalibus Barberinis infausta hæc cogitatio; Vnicuique scilicèt compertum est illos agnoscere ac venerabundos suspicere Apostolicæ Sedis sacrosanctam Majestatem, cui nimirùm prona vndecúmque supplicant jura, & à quâ omnis sacræ iurisdictionis amnis quoquò versum profluens, emanat. Est etiam illis sempérque fuit erga Summum Pontificem, summa pariter obseruantia, & ex quo ille ad excelsissimum istud, cælóque proximum dignitatis atque amplitudinis fastigium euectus est, hunc honorem illi Deum fortunare, impensè ac ex animo voluerunt. Sed nec vllum vnquam officij genus prætermiserunt, quo summissis fascibus Innocentium X. *Episcopum Episcoporum, potestate Petrum, vnctione Christum*, pleniore obsequio demererentur.

Non eadem profectò mens, nec par fuit olim quorumdam Cardinalium ergà Leonem X. cultus ac obseruantia. Illi quippè velut signo dato, ad fas nefásque miscendum tàm impotenter coorti sunt, vt post æquatas eorum sceleribus pœnas, miseri quidem essent, non tamen miserabiles. Ecquis enim Alfonsi Petrucij Cardinalis obnoxiæ funestæque sortis mi-

tis miſereſceret, quem nimirùm *exitiali percitum in-*
ſania, Rerum Italicarum nobilis inprimis ac elegans Paul.
Scriptor aſſerere non dubitauit. Non illi ſatis fuerat Iou. in Leon.
Sacerdotum Principi maledixiſſe, eíque furias omnes in- X.
uocaſſe; niſi etiam, vt opportunum ictibus aggrede-
retur, in purpuratorum Patrum Senatum atrox odij,
cum occulto mucrone veniſſet. Inauditum ſanè in
omni memoria ſcelus, rara nequitia, & vt hiatus ter-
ræ, aut de cauernis maris ignium eruptio, portentis
potiùs quàm criminibus annumeranda. Ecquis, in-
quam, Hadriani Cardinalis ab vrbe Meſſoris habitu
proficiſcentis, & ad vitæ exitum angore conſcientiæ
latebras quærentis, duram quidem ſed promeritam
doleret vicem? Neque enim tantùm ex fatidicæ cu-
iuſdam mulierculæ oraculo, cæca regnandi cupidine
inductus, Leoni mortem optauerat & ominatus
erat; ſed diris etiam ac immanibus verbis illum exe-
cratus, ſceleſtum facinus inſano animo meditatus Paul.
erat, ac denique confecti, paratíque veneni ſuſpicio- Iou. eodem
nem atque famam non dimouerat, non expurgaue- loc.
rat. Sed neque obtegendæ, aut ſilentio diſſimulandæ
erant Riarij, Saulij, aliorúmque Cardinalium coniu-
ratorum factiones, vel eò magis quòd iam delibati
affectíque nominis, paulò antè lege publici Iudicij
interrogati, adnotati, proſcripti, ac tandem Iuliæ le- l. Quiſ-
gis pœnæ relicti fuerant. Iulius II. quoque alios Se- quis C. ad l. Iu-
natu mouit, non quòd iniuſſu Romam egreſſi in ex- liam Maje-
ternas tranſiuiſſent Prouincias, ſed quòd cæca rerum ſtatis.
nouarum cupiditate perciti, omni Eccleſiaſticæ vni-
tatis amore poſthabito, Piſano ſe ſiſterent conſeſſui.

Leo nihilominus, etsi iniuriæ pariter atque beneficij grauis esset æstimator, eos tam speciosè pristina dignitate perfrui benignè permissit, quàm fuerant infestè à Iulio deturbati. Ità nempè quæ ab initio inuidiosæ accusationis flamma magna congerie conualuerat, diductis quibus alebatur pabulis, facilè concidit. Enimuerò nunquam in tantum ad omnium perniciem excrescet calumniatorum perdita & impotens nequitia; nunquam sic contra innocentiam coniurabitur, vt non illi tandem emergere ac respirare concedatur.

Verùm quoquomodo sese res habeat, has omnes Pontificias Constitutiones, quæ de non intermittenda præsentia hactenùs sunt perlatæ, obliteratas penitùs & in desuetudinem perductas, ipse patefacit rerum Censor, & optimus Magister vsus. Numquid enim sub ipsam Leonini diplomatis promulgationem, Grimanus Cardinalis ex Romani Pontificis oculis, atque etiam è conspectu ciuium abire dubitauit? Quid sub Paulo III. Medices & Pacæcus? Quid sub Iulio III. eiusdem consortes dignitatis Farnesij fratres? Quid sub Pio V. Delphinus Cardinalis? Quid sub Gregorio XIII. in Galliam quasi postliminio reuersus Armagnacensis? Quid sub Clemente VIII. Cynthius Aldobrandinus, & Farnesius? Quid sub Paulo V. Petrus Aldobrandinus S. R. E. Camerarius, Detus, Vrsinus, & Zapata? Quid denique sub Vrbano VIII. & Innocentio X. alij quàm Barberini? nonne hi omnes iugis militiæ legibus neglectis, vltrò citróque commeauerunt, ac omni metu liberi, aut in

Galliam deflexerunt, aut alios terrarum tractus prout cuique placuit, obierunt? & tamen quis eo nomine ad accusationem prosilire? quis eos in crimen violatæ Pontificiæ authoritatis accersere? Quis lege interrogare? quis denique ad pœnam reposcere aut sustinuit, aut aggressus est, aut etiam cogitauit?

Nec est quòd Actor publicus ad hanc Romanæ Cancellariæ Regulam confugiat, quæ Cardinales in statiuis suis præsidiis assiduos esse iubet. Nam etsi hanc illa præsentiam desideret, non tamen eos vrget interdictis, aut ad pœnam vocat, qui peregrè exeundo, omnem desiderij sui expectationem non expleuerint. Idque nemo patiens veri diffitebitur, ad quem peruenerit Pauli Pontificis eo nomine Tertij sacrata constitutio. Voluit enim ille vt absentes Cardinales vbicumque gentium essent, perinde haberentur, ac si in ore Populi Romani versarentur, aut etiam in ipsius Summi Pontificis vultu continenter acquiescerent. Et verò non vnius loci viri dici debent illi, à quibus in dies tàm multa sunt adimplenda, seu magnis Regibus Consilij lucem affundere, seu ingentes Regnorum Rationes procurare, seu denique cum negotiis ex toto orbe confluentibus, paria facere necesse habeant. Cæterùm à recta disceptandi ratione aberraret Actor, si laboranti causæ suæ subsidia vellet comparare ex illa nupera Innocentij X. constitutione, quæ tàm districtæ, tàm expletæ, támque inauditæ seueritatis videtur, vt vltrà nihil leges habeant quod purpuratis Ecclesiæ Romanæ Patribus minentur, & incutiant. Nobis autem quibus non est datum

Reg. 23.

In Bullar.

in Arcana Numinum pertingere, ignorare licet qua tandem ratione, quo iure, quo more, quóve exemplo factum eſt, vt hæc pœnalis ſanctio ad res etiam iamdiù geſtas porrigatur atque protendatur. Certè ſupremus ille cæleſtíſque Legiſlator, qui non, vt olim in lapideis paginis, ſed in mollibus præcordiorum Tabulis legem ſuam exarauit & inſculpſit; nullum ſibi in præterita ius præterquam obliuionis, voluit vindicare. Eo planè modo lex ipſa ciuilis, quæ eſt *Ratio ſummi Iouis*, & ipſi Religioni ſuos Natales acceptos refert, in futurum tantummodò proſpicit, nec

l. leges C. de leg. l. 1. ff. ad leg. Falcid. l. iubemus C. de teſt.

Iano Bifronti ſimilis, in tempus exactum intentam oculorum aciem reflectere ſolet. Illius ergo munus eſt quid faciendum, fugiendúmve ſit præſcribere, futuríſque dare formam negotiis, non ad facta præterita reuocare. Quid enim illi peccauerunt qui præſentis, nouæque legis inſcij, antiqua maiorum inſtituta, priſtinóſque mores ſecuti atque amplexi ſunt? Sanè Timocrati ſuccenſuit olim Demoſthenes, quòd ille parùm iuris intelligens, inſolenti decreto exactum tempus cum poſtero confudiſſet. Sed & ipſe Roma-

Act. 3 in Verr.

næ Parens Eloquentiæ prædonem quendam Magiſtratum exagitauit, eo præſertim nomine quòd edictum capitalis ſanctionis in præteritum concepiſſet. Neque ideò haud immeritò iuris inſcientiam vehe-

Nou. 9. 99. l. vlt. C. de legit. hæred.

mentiùs illi exprobrauit, cum magnæ illæ Iuriſconſultorum animæ ſe leges in futurum dumtaxat, non in præteritum valituras condidiſſe dilucidè profiterentur. Qua enim illi agendi, cogitandíque pollebant ſolertia, ſuas omnes expleſſe partes putabant,

si præteritorum meminissent, præsentia cernerent, futura præuiderent.

Atque hæc sunt inter cætera, quæ facilè persuadent non eam esse mentem summi Legislatoris Innocentij, quam nuperæ Constitutionis verba in speciem præferunt. Cùm enim nobilis Legum scientia, non in verbis consectandis, sed in ipsarum vi ac potestate posita sit; hinc est vt vbicumque animi coniectura capienda atque ducenda est, voluntati verba debeant inseruire. vt nec certe calumniari iura oportet, aut etiam prudentum virorum auctoritatem ad insidias detorquere. Quoties ergo legis verba ab æquitate videntur absona, aut in plures ducuntur intellectus, suadet ratio, vt quia scribendæ legis causa voluntas extitit, id vnum etiam spectare debeamus propter quod lex perscripta est. Atque in ea fuit olim sententia Seruius ille Sulpicius qui Iuris Antistes meruit appellari; putabat enim ille potentius esse quod in tacita Legislatoris voluntate certissimis eminebat vestigiis, quàm quod in Albo fallentibus literarum apicibus exaratum erat. Hoc vnum superest, vt permittamus nobis dicere, seuerum hoc nouæ Constitutionis quasi telum, Summi Pontificis manu fugisse potiùs, quàm emissum esse.

l. scire ff. de legibus l. penult. ff. ad exhibend.

Hactenùs de idoneis absentiæ causis disputatum est; iamverò institutæ disceptationis Ratio postulat, vt de iustis dilationum spatiis ex mente legum indulgendis, videamus. Et olim quidem in pœnis irrogandis sic Iudicem formula includebat, vt eas ille nec intendere, nec remittere, nec etiam emollire posset.

l. respiciendũ. l. penultim. de pœn.

Quare cùm ſingulis maleficiis certa quædam legibus pœna conſtituta eſſet, ideo Prætor, aut Recuperator in ferenda ſententia legem tantùm, non etiam pœnæ genus exprimere ſolebat. At è contrariò in prorogandis, ampliandíſque vadimonij diebus, tota eius rei Cognitio Iudicis arbitrio fideíque permittebatur; adeò vt ille nullis iam adſtrictus iuris vinculis, iudicium depromeret, non quidem ex contextu legis, ſed prout æquitas aut humanitas, iudicantem impellebat. Enimverò cum perſæpè calumniantium improbitate, ipſius etiam innocentiæ defenſio trepidet, ac interdùm intercludatur; humanum eſt dare ſpatium excutiendæ veritatis, ac interim ſuſpenſa manu patientiam laboranti accommodare. Hanc enim Religioni ſuæ debet Iudex, quia pars magna iuſtitiæ illa eſt, & Rationis iura quibus totius Reipublicæ ſtatus conſtat, aduerſus iram quaſi vindictâ in libertatem aſſerit ac defendit. Et ira quidem in ferendis ſententiis properat, atque præcipitat, quia id æquum iudicari vult, quod iam inconſulta feſtinatione iudicauit; Ratio contrà moras ducit, quia id iudicari deſiderat quod æquitati conſentaneum eſt. Certè nemini vnquam ſatis lenta eſſe poteſt illa fori arena, in qua de exiſtimatione, de fortunis, ac etiam de ſalute dimicandum eſt.

l. 1. de re Iud. l. 1. de iur. delib. l. 1. de dilat. l. 5. de dol. mal. except. l. interdum ff. de Iud.

Cæterùm cum Iuriſconſultis conſentiunt Pontificij iuris Authores celeberrimi; inter quos Euariſtus Dei Opt. Max. memorabili ac in omnem æternitatem duraturo exemplo, Iudices omnes à quocumque præcipiti ſtudio retrahere conatus eſt. Etſi enim ſum-

Can. Deus 2. quæſt. 1.

mus ille rerum arbiter præſente potentia, nec abſente natura cuncta peruideat, & per omnia commeet; ſuum tamen tardè ſemper procedens iudicium ſuſtinuit, nec ſe primo Parenti præſentem magis, quam clementem Deum impertitus eſt. Cùm itaque abſentibus legitimi temporis ſpatia denegari nulla iura patiantur; eorum tamen propenſior benignitas eſt in egregias illas ſpecioſáſque perſonas, quas non magis Gentilitia claritudo, quàm ſpectata virtus ad honorum culmina, dignitatûmque apices fœliciter euexit. Quoties ergo cum eis apud Iudicem decertandum erat, interueniebat admonitio quædam verecunda; quæ ſcilicet nec imperioſè repoſcebat, nec inurbanè in ius pertrahebat. Tùm verò quo faciliùs Iudicis animus ab aliqua contra clariſſimos reos inſita opinione flecteretur: & ampliores dilationes, & maiora iudicialis diei laxamenta denegare quaſi piaculum erat. Licuit olim Regibus Lacedemoniorum, principali quodam iure tàm libera, imò & legitima vti contumacia, vt ab Ephoris ſæpiùs vocati, venire tamen ad conſtitutum diem recuſarent, & aſpernarentur. Sed & planè ad glorioſum Regum verticem, haud longo interuallo accedit ſublime illud, ſummòque proximum Cardinalium faſtigium. Hos enim habet Aſſeſſores, imò ſui partes corporis, ſummus ille Princeps Sacerdotum, qui eſt velut cardo totius Eccleſiæ, quo librata moles ingens conſiſtit atque ſuffulcitur. Vix enim eſſet oneri ferendo, nec Romanum hoc cælum tàm facilè ſuſtineret ſine his Collateralibus, qui grauiſſimos illius labores conſiliis ſuis iuuant ac leniunt,

eíque Terrarum Orbem iudicanti præsto adsunt, & vigiles assident. Quamuis ergò vtile sit Reipublicæ, neminem ita eminere oportere, aut se supra censoriam notam omnem efferre, vt non possit legibus interrogari; semper tamen personarum nobilitati, splendori, dignitati, ac etiam Auorum proximorúmque inclytæ memoriæ datum est, vt formulis solutæ & earum absentia ciuiliter comitérque sit habita, & absque insolentiæ crimine, vocantis Iudicis Imperio potuerint interdum non obtemperare. Ea nimirùm est magnarum virtutum sacra conditio, vt non præsentes solùm illas, sed etiam ablatas è conspectu, cælóque redditas magnâ curâ, summáque veneratione

Vlpian. colamus. Etsi verò ex nobilissimi Iurisconsulti Responso, non facilè detur Actio aduersus Consularem receptæ authoritatis, atque vitæ emendatioris; malunt tamen Cardinales Barberini, Princépsque Præfectus, innocentia & integritate, quàm dignitatis amplitudine, aut generis nobilitate, à crimine tutos se præstare.

Itaque quod sæpè aliàs contestati sunt, apud æquos & in vtrámque partem propensos Iudices, præsto sunt causam dicere; apud eos verò non possunt agere, quorum oculis etiamsi veritas sæpiùs ingeratur, errorem tamen suum & amant, & tuentur. Proniores certè ad lenitatem Iudices esse debent, & in grauioribus pœnis, seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. At isti tamen legitimum omnem pœnarum modum excedentes, grauissimas inprimis mulctas inde auctas & aggestas,

Reis

Reis adſcripſerunt. Sanè ita ſui arbitrij Iudex nunquam fuit, vt penitùs à legum præſcriptis poſſet recedere, aut vltrà earum deſiderium pœnas protrahere atque irrogare. Permultùm enim intereſt vtrùm quid nobis officio Iudicis, an actionis iure debeatur; Actio quidem & obligatio neceſſitatis vinculum quoddam eſt; officium autem Iudicis cum æquitate, non etiam cum neceſſitate coniunctum eſſe voluerunt Romanarum olim legum perpetui Dictatores. Facti porrò quæſtionem iudicantis Religioni & arbitrio crediderunt; pœnæ verò perſecutionem non eius voluntati, ſed ipſius legis authoritati, meróque imperio reſeruauerunt.

l. vlt. ff. quod cert. loc. l. 1. C. de Iud.

Atque inde eſt quòd Rectoribus Prouinciarum, ne reis mulctam dicerent vltra duarum vnciarum auri ſummam, interdictum erat. Sin verò cæteri ſpectabiles Iudices qui potioris erant gradus, vſque ad tres vncias mulctam fortè protuliſſent, non ideò tamen demandatæ Iuriſdictionis fines tranſcendiſſe videbantur. Proconſules autem, Comites Orientis, necnon Præfecti Auguſtales, culpæ obnoxios ſenarum vnciarum auri ſumma, pro luce dignitatis ſuæ cohibebant, atque compeſcebant. Solis Præfectis Prætoriis, qui vicis ſacræ meruerant honorem, datum erat, vt etiam ad quinquaginta librarum auri mulctam peruenire poſſent. Non ergò illi tanti faſtigij Magiſtratus, infinitam ſibi dicendæ mulctæ licentiam arrogabant; quin ſummoperè cauendum illis erat, ne eidem perſonæ, in eadem cauſa, & vno in anno, ampliùs quàm trina mulctæ caſtigatio infligeretur, &

l. vlt. C. de mod. mulctar.

adſcriberetur. Quòd ſi forte ex his aliquis legis Imperium non ſatis perferens, legitimum exceſſiſſet modum; reſtitutioni factus obnoxius, dupli pœnam exoluebat. Hæc nimirùm fuit olim in Iudiciis Romana gloria: Hæc illa Regnatoris Populi in conſtituendis, temperandíſque pœnis, prudens humanitas: Tit.Liu. Hæc inquam, illa ſolida veráque iactantia, qua *Nulli gentium minores placuiſſe pœnas*, prædicabat. Et verò tàm multis ille benignitatis & humanitatis condimentis iudiciorum acerbitatem mitigauerat; tàm lenibus etiam verbis ipſius rei triſtitiam permulſerat, vt cùm duriùs animaduerteret Iudex, non ille occidere, ſed *lege agere*, diceretur.

Quantùm verò ab hac antiqua Majorum gloria deſciuerint Apoſtolicæ Cameræ Cognitores, vel immodicæ illæ, ac legum omnium præſcripta modúmque excedentes mulctæ, nemini non perſuadere poſſunt. Abſentes ſiquidem ita vrgere, ita premere, non modò iudiciariæ legis non eſt, ſed potiùs immanitatis omnem humanitatem repellentis. At nec illi quoque à iuris regula, legíſque præſcriptione, fœliciori aliquo deflexerunt errore, cùm vniuerſæ pecuniæ publicæ rationes ab vnoquoque in ſolidum expoſtularunt. Si enim Iuriſconſultorum more inductionibus hæc fori veritas ſit aſſerenda; occurrit in primis Tutelæ comparatio, quæ cùm ſe ſacro depoſiti nomine tueatur, nihil ſane eſt ad eliciendum, captandúmque Iudicum fauorem, aut potentius, aut magis efficax. Si tamen aliquandò Tutela forte ità per plures ſpargatur, vt vrbica vnus, peregrina alius admini-

ſtret negotia; in hac quidem ſpecie, intra pubertatem Contutoris factum, illius quoque Collegæ qui potuit ac debuit facere, ſic imputatur, vt communis periculi nulla poſſit eſſe deprecatio.

Sed ſi tres aut quatuor, diuiſa inter eos geſtione, Tutelam attigerint, & ex his vnus patrias pupilli fortunas non minimo afflixerit damno; ex Seueri & Antonini Reſcripto non communicari periculum comperti iuris eſt. Cæterùm & ſi ex Contutoribus nonnulli in tutela graſſati fuerint, ſi modo illi æri alieno ſoluendo ſint, diuidendam eſſe inter eos actionem reſpondit olim Vlpianus: Porrò ſi ex duobus Magiſtratibus Collegis, vnus in adminiſtranda Republica ſordidè egerit, & vterque idoneus reperiatur, ex prudentiſſimi Pauli ſententia, mutua vice periculum non præſtant, ſed pro parte quiſque conuenitur. Si denique duobus, non quidem ſimul, ſed ſeparatis portionibus, publicæ cura pecuniæ demandetur, & ex his alter peculatus crimen admiſerit, non certè coniungentur in pœna, qui in culpa ſeparati reperiuntur, ſed quas quiſque promeruit flagitij pœnas perſoluet. Enimuerò cùm nulla ſit maleficiorum ſocietas, non eſt præter æquum, vt vnuſquiſque ex ſuo admiſſo legitimæ ſubijciatur pœnæ. Peccata ſuos teneant authores; alieni nemo criminis, aut etiam periculi conſtituatur ſucceſſor; ſubſequatur denique pœna ſcelus, nec vltrà progrediatur coërcitio, quàm commiſſum reperiatur delictum.

l. Diui l. ſi plures ff. de adminiſt. tutor.

l. 1. ff. de tutel. & rat. diſtrah.

l. ſi pupillus l. in Magiſtr. ff. de Magiſtr. conuen. l. vn. quo quiſq. ord. conuen. lib. 11. Cod.

Spretis tamen & antiquatis his omnibus iuris & æquitatis auxiliis, repetitæ à Pontificiis Cognitoribus

proferuntur ſententiæ, in quibus tamen omnibus nec iudiciorum mos ſeruatus, nec ſua legibus aſſerta reuerentia, nec vllus denique legitimæ diſceptationis modus eſt habitus. Quin potiùs vt ſumma cum iniuria executioni res iudicatæ mandarentur, confeſtim lege agitur, pignora capiuntur; Reorum etiam exiſtimatio penè ſimul cum bonis ex edicto poſſidetur. Quid plura? rebus omnibus exuuntur digniſſimi, ac ex his cunctis, quos vnquam miſeros fecere virtutes, innocentiſſimi Vrbani VIII. Nepotes; idque viuo videntéque, ac in Eccleſiæ ſolio ſedente Innocentio X. Ignoratur autem maioríne inſontium reorum, an Romanæ Aulæ iniuriâ factum ſit, vt qui nuper ex ipſa Religionis arce, quaſi de cælo ſeruantes, Populorum, Regnorum, totiúſque Orbis Chriſtiani fata euoluebant: nunc extorrem, inopémque fortunæ vitam ſubire coacti, ab egeſtate ſub honore dignitatis laborante, liberandi ſint atque defendendi. Indignum ſanè facinus, vt quem non à longa die, Apoſtolicæ Sedis fiduciarium Legatum, venerandúmque linguæ ſummi Sacerdotis oraculum, ac velut *Phœbigenam Diuûm Interpretem* Gallia ſuſpexerat; eundem nunc profugum exulantem, ſpéſque ſuas alienis ſubſidiis videat conſolantem. Neque enim aduerſis rebus, alio malorum fomento, ſubleuatur, quàm quòd non vſquequaque infœlix virtus, mole illi ac honorificum conceſſerit exilium. Hanc nimirùm labem apud Poſteros inuentura Roma, vllo vix vnquam luet piaculo, nec ſacrum hoc, portentóque ſimile commiſſum, vllus ab Hetruria euocatus Aruſpex,

procurabit, expiabit. Sanè laborabit Annalium fides, cum Camerarij munus, quo Cardinalis Antonius fungebatur, vel ipsi Controuersiæ Disceptatori, delatum ac mandatum narrabitur. Obstant quippè vtriusque iuris Authorum placita; obstant Prætorum edicta, Interpretum decreta, in mores recepta; obstant denique ipsius Rationis & Æquitatis dictamenta, quò minùs quis ius sibi possit dicere, atque suam in aliena lite, causam peragere. Ecquis enim vnquam sui commodi Iudex erit, qui se non sibi æquiorem quàm reo præbeat? Qui ad charitatem sui compositus, suæ non pareat naturæ? qui impotenti, Iudiciique nesciæ fortunæ moderari queat? gentes profectò alieni cuiusque impatientes arbitrij, faciliùs quis reget, quàm suum sibi tradet animum, affectus proprij seruitute absolutum. Quare cùm olim cunctarum Gentium Arbiter Populus, rem alienam in honorarium deductam iudicium, suo ille sibi decreto addixisset; reclamabant litigantes, & Deos hominésque testabantur ingens fieri flagitium, ac subinde obsecrabant ne ex eo quod Iudices electi in rem suam litem vertissent, pessimum facinus peiori adiungeretur exemplo. Et verò intemperantis planè ac ferocientis animi ille sit oportet, qui cùm de crimine cognitionem suscipit, infœlicium reorum pœnis, non ipse exhorrescens fruitur, legúmque vindictam & animaduersionem sibi ipsi exhibere ac præstare non dubitat.

Tit. Liu. Dec. 3.

Cæterùm non quidem melioribus Auspiciis, Cognitor ille Pontificius in alias se causæ partes insinuasse visus est. Quam enim de subducendis calculis,

ineundísque Rationibus edidit Actionem, priuatis illam certè odiis magis, quàm publicæ vindictæ datam, haud magno negotio demonstrari potest. De quo vt inter omnes liqueat, præmittendum est; variis legibus, Iuliis scilicet, atque Iuniis, Calpurniis ac Seruiliis repressos olim atque arctè cohibitos depeculatores illos, qui ab expilandis Ærariis, aut à populandis vexandísque Prouinciis, mentes, oculos, manus nec abstinent, nec à seipsis temperant. Tanta verò, támque incorrupta harum legum seueritas erat, vt nec inflecti gratia, nec perfringi potentia, nec vllis precibus emolliri possent. Quin potiùs solis inopibus salubres, aliàs semper surdæ, inexorabiles, superbæque Magistræ, Potentioribus hac imperiosa voce minabantur, *Qui Prætor ex his legibus quæret, de ijs quærito qui Prætores, Consules, Dictatores, aut in alio Magistratu pecunias abstulerint, interceperint, in rem suam verterint; aut quo quis auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat, fecerint.*

Sigon. de Antiq. Iur.

A primis autem Iurisprudentiæ cunabulis, cùm nondùm marmor aut ebur insculptæ leges illustrassent, cùm non fora, non porticus Album Prætoris exornasset, soláque spiraret in animis reuerentia, & imago naturalis æquitatis; quæ dabantur peculatus, aut Repetundarum, aut de residuis actiones, priuatæ tantùm erant, nec in eos qui peculatum fecerant, publicis vllis agebatur iudiciis. Sed cùm vergente Æuo, desciscentéque à virtute Republica, præcipiti lapsu ad vitia transcursum esset; certæ tunc leges hac de causa rogatæ, certum tribunal designatum, certique fuere Prætores constituti, qui de omnibus his famosis

Quæstionibus decernerent, atque in quoscumque pecuniæ publicæ direptores, suppressorésque pro potestate animaduerterent.

Quibus ità definitis, videndum est an ex summæ status Ecclesiastici Præfecturæ gestione, tantorum criminum inuidiâ laborans ac conflagrans Cardinalis Franciscus Barberinus, legitimam Prætorij Edicti pœnam non commisisse tantùm, sed etiam commeruisse videatur. Ac certè quidem, ex quo primùm Pontificium in Italia bellum & affectum, & adornatum est, delecti sunt ab Vrbano Pontifice militaris impensæ Quæstores, quibus actus sui Rationes exscribere, conficere, ac referre incumbebat. Quod vt ab illis factum est, ità ni solidam, inculpatámque in his omnibus fidem præstiterint, atque exoluerint, non recusant quin ab eis, reductis calculis, repetantur pœnæ, quas nec deprecantur, nec vllam supplici postulatione veniam implorant. Atque hoc quidem planè est ex Romani Prætoris mente, cuius hæc agnoscimus verba, *Si is vnde petitur prius vrbe cesserit quàm ea res iudicata erit, Prætor ab ijs quærito ad quos eam rem peruenisse constiterit.* Cùm itaque ad Pontificium Ærarium, ex his qui Quæsturæ militari præpositi erant, nonnulli hactenus confectas & inductas in ordinem Rationes retulerint; non est certè quòd de iis subducendis ac percontandis, aduersus Cardinalem ex lege publici iudicij, Quæstio postuletur. Fuerat illi quidem ab Vrbano Pontifice Ecclesiastici status summo cum Imperio, Præfectura delegata: hanc ille Nepoti integritatis, fideíque retinentissimo magnam qui-

dem imposuerat personam : hanc illi negotiosam, plenámque solicitudinis mandauerat Prouinciam: hunc illi campum dederat in quo excurrere virtus, cognoscique posset. In hoc ergo munere obeundo, grauissimos Cardinalis Franciscus labores exhausit, multas multorum offensiones pertulit, difficultates non leues nec paucas exsorbuit, vixit denique ad mandantis Pontificis arbitrium, non ad suum. Hoc autem si scelus est, si crimen est, æquitatis amantes Iudices videte quæso, perpendite, ponderate : vix enim est vt omnes litium calumniæ possint efficere, vt flagitio locus sit vbi totum laus occupauit. Sanè proximum crimini est, ab eo gestæ Præfecturæ rationem reposcere, cùm Vrbanus Pontifex, non solùm viuæ vocis oraculo, sed etiam mandato consignato, ab omni ratione reddenda liberum, solutum, & vt Græcorum Iurisconsultorum verbo vtar, aneclogistum esse voluerit.

Huius autem Oraculi tanta vis est atque potestas, vt ex Gregorij XI. Constitutione, nulla ei generali sanctione derogari, aut etiam obrogari possit: vt hic planè renouari, reducique videantur sacri illi Deorum affatus, quos olim in Iudiciis authoritatem legis tenuisse traditum est. Quoties ergò Cardinales Barberini Princépsque Præfectus inuidiosi criminis insimulantur; toties Vrbani memoria per Nepotum latus petitur, omnisque in illum calumniosæ accusationis iniuria, refunditur. At ille tamen meliùs de Republica Christiana promeruit, quàm vt cum eo agatur velut ex Theodosiana formula, *De his quæ sub Tyrannis*

Constit. 27.

Plat. II. de legib. Demosth. in Macart.

In Cod. Theod.

rannis facta sunt infirmandis. Quin hoc potiùs tanto Pontifici constare debuit dignitatis, famæque reuerentia, vt illius etiam mortui nomen, fortuna, virtus, Nepotes suos absque vllo aduentitio auxilio, apud gratos posteros defenderet, atque tueretur. Sed hoc profectò fuit iam olim Romæ proprium, vt expugnatis rebus omnibus, secum ipsa pugnaret, ac ipsius quoque Numina *fatis contraria fata rependerent.* Quin & ipsis etiam legibus inest quidam velut orbis, & quod nunc iure seueritatis ablatum est, in tempore demùm Æquitatis manu refundetur.

Atque hæc sunt, quæ licèt æquum quemque rerum æstimatorem mouere possent, non ideò tamen Aduersarij susceptam hactenùs accusationem renunciare, aut remittere visi sunt. Sed in quibus peculatus crimen reperire, aut de residuis quæstionem iure facere non poterant, in eis se vmbram saltem criminis reperturos putauerunt. Nituntur autem literis à Cardinalibus Barberinis & Principe Præfecto exaratis, quibus pecuniæ pro militari impensa vel expetitæ, vel Præfectis Ærario creditæ fuerunt, & hoc argumento (quod est caput & robur totius criminationis) auersæ publicæ pecuniæ scelus, satis superque reuictum arbitrantur. Ità illi accusatorio quidem iure, sed more parum probabili has literas, (quas in re maximi momenti, magni viri magno animi temperamento arcanis flammis olim crediderant,) euulgare, publicare, atque in mediam fori lucem proferre sustinuerunt. Hæc autem tota insimulatio, quæ primo quidem impetu grauis videtur, vana tandem apparet Plut. in Cæs.

F

exitu ; vel eo nomine quòd Cardinales Barberini Princépſque Præfectus paratos ſe profeſſi ſunt, eorum omnium quæ per ſemetipſos geſſerunt, & cuiuſlibet ab ipſis contrectatæ pecuniæ, parem vbique calculum facere. Colligantur ergo Rationes illæ, ſubſcribantur, diſpungantur, & ad veritatis fidem accepta quæque, expenſáque reuocentur. De cæteris verò quas ipſi non attigerunt, agat Cognitor Pontificius cum Quæſtoribus, aliíſque rei nummariæ Præpoſitis, ex quorum geſtu Cardinales, Princépſque Præfectus obligari, aut conueniri nullo modo poſſunt. Illi quidem omnes qui militaris Annonæ ſuſceperunt Prouinciam, aut perſoluendis caſtrenſibus ſtipendiis curam impenderunt ; ex hac iniuncti muneris geſtione ſuam Apoſtolicæ Cameræ obſtrinxerunt fidem ; eandem verò in alios obligationem tranſcribere non æquè potuerunt.

Cùm itaque in hoc tanto conflatæ accuſationis ſtrepitu atque apparatu, nullum prorſus, ne quidem leuis noxiæ veſtigium pelluceat, nihil quicquam Actor publicus ad lædendum niſi voluntatem, in medium afferre potuit, diceres illum ſtudio feriendi non pugnare, ſed rixari. Verùm cùm in laceſſitæ famæ iudicio, vagari nemo debeat cum diſcrimine alienæ exiſtimationis ; proferat ille Tabulas, teſtes excitet, nomina rerum indicet, perſonas adſignet, conſignatis denique literis, inſtrumentíſque ratæ ac locupletis fidei, obiecti criminis veritatem inſtando aſſerat, inſtruat, confirmet. Enimuerò ſi accuſaſſe ſufficiat, quis vnquam erit innocens ? quis integri nominis,

quis illæsæ incolumísque famæ reperietur, si ei qui detulerit nulla sit probandi imposita vltrò ac iniuncta necessitas? conquerenda planè est communis periculi conditio, si innocentium fortunæ calumniatorum improbitati exponantur, ac falsa quæque in eos crimina quasi venenata tela conijcere impunè liceat. Quod vt tanquam dirum hominibus omen auerterent, atque obruerent prisci iuris Conditores, sapienter admodùm præceperunt vt ex omnibus rebus quæ grauiores maiorésque essent, quid quisque voluerit, cogitarit, admiserit, non ex accusatione, sed ex moribus eius qui coarguitur, iudicio certo sit æstimandum atque ponderandum. Etenim in magnis disquisitionibus, vniuscuiusque vita testis ést, & in exploratis moribus, non in rationum exscriptarum tabulis; in rerum gestarum monumentis, non in calculorum subductionibus quærere debent Iudices, seu sinceræ, seu infidæ procurationis argumenta. Crediderunt olim Athenienses Pericli affirmanti se Reipublicæ pecunias in illius vsus bona fide insumpsisse, nec vltrà aliud quæri decreuerunt. Ipse quoque Romanus Prætor, à Rationum breuiario quod incorruptæ vir integritatis Metellus, in iudicium fortè protulerat, oculos auertit, ne quod ille in accepti expensíque capita retulisset, dubitasse verúmne an falsum esset, videretur. Eandem planè Cardinales hi, Princépsque Præfectus merebantur fidem, qui sui rationes muneris tàm abstinenter quàm alienas, tàm diligenter quàm suas, tàm religiosè quàm publicas administrauerant. Quòd si fortè illi, non Metelli tan-

tùm, ſed & Catonis animo mandatam ſibi Prouinciam geſſiſſe glorientur, id ſanè morum fiduciæ potiùs, quàm arrogantiæ tribuendum eſt. Habet hoc interdum concitata, ac velut ſpiritus erumpens indignatio, vt vel ab ipſa ſeueritate Cenſoria, quæ pudoris & modeſtiæ Magiſtra eſt, veri voces extorqueat.

At contrà refert Actor publicus nihil eſſe quod magis peruagatum, aut hominibus auditum atque notum ſit, quàm Cardinales Barberinos Principémque Præfectum in peculatus leges commiſiſſe. Itaut iam nullus eam in rem labor impendendus & inſumendus ſit, cùm manifeſtus criminis, pro reo deprehenſo conuictóque, apud omnes iuris cultores haberi ſoleat. Hoc verò non tantùm non diffitemur, ſed vltrò liberaliter adijcimus quædam eſſe crimina, ad quorum pronuntiationem ſoli oculi loco teſtium interrogati, poſſunt ſufficere. Certè an læſa ſit Reſpublica, inquiſitione, vel argumentis probare, tàm ſtultum eſſet, quàm in clariſſimum ſolem breue aliquod ac mortale lumen inferre. Comperta quippè, explorata, oculíſque ſtatim ſubiecta Reipublicæ damna ſunt, ſi muri diruti, ſi Claſſis incenſa, ſi exercitus à perduellione turbatus fuerit. In his enim omnibus res ipſæ loquuntur tacentibus teſtimoniis, nec vlla firmior eſſe poteſt probatio, quàm quæ tot hominum conſcientia nititur. Rem denique manifeſtam infíciari, augentis eſt crimen, non verò diluentis. Verùm quid hæc ad controuerſiam? tantùm enim abeſt vt Cardinales, Princépſque Præfectus peculatus crimine manifeſtò conuincantur, quin potiùs Actore non

probante, omnibus ſententiis non ſolùm liberandi, ſed ab omni etiam ſuſpicione vindicandi. Etſi enim ille magno conatu teſtimonia conquirere, & auxiliares copias vndique accerſere non deſtiterit; etſi, inquam, nullus illi non eruendæ veritatis aditus ſit tentatus, nullum tamen in hanc vſque diem, ſeu auaritiæ, ſeu cupiditatis impreſſum veſtigium potuit deſignare. Sed nec quicquam in rationibus hactenùs editis exactiſſimus Calculator adnotauit, quod conceptis reductíſque ſummis non quadraret, non etiam ad nummum conueniret.

Tandem cùm iure, moribúſque receptum ſit, vt Repetundarum ac peculatus Quæſtiones, vel ſola facti inficiatione defendantur; quod verbo Actor obijcit, eadem facilitate verbo dilui, ac refelli poteſt. Neque tamen integerrimi Rei hac excluſoria litis præſcriptione legitimi certaminis aleam detrectare voluerunt, ſed prolatis in iudicium Rationum Aduerſariis, ex ingenti conſcientiæ fiducia, dolum malum abeſſe, interpoſito iureiurando firmauerunt. Vt iam inde nemo in dubium vocet, quin Actori probationis onus incumbat; idque eò magis quod in ſinu ipſe habeat Rationales omnes Tabulas, quas militaris Ærarij Præfecti ex officio confecerunt, confectáſque in Apoſtolicæ Cameræ Chartophylacium retulerunt. Quapropter iure poſtulatum eſt, vt harum literarum poteſtas Reis fieret, quò faciliùs quicquid occultum videbatur in lucem veritatis confeſtim proferretur. Neque verò ex aduerſo, imploranda erant fiſci iura præcipua, quaſi ille actione ad eden-

l. in fraudē §. neque de iur. fisc. l. iustū est C. de edendo. l. non est nouum C. de edendo. §. item Diui fratres.

dum, vetantibus Regiæ Majestatis Auspiciis, conueniri nullo modo possit. At certè non eadem fuit iuris conditorum mens atque sententia; iustum quippè illi putauerunt eorum desiderium à quibus petitur, vt Rationibus in medium adductis, veritati locus vbi illa tandem consistat, relinquatur. Hinc illa Cæsarum iuris effata celeberrima, non esse nouum debitorem implorare ipsius Creditoris Rationes, si modò ad rem suam faciant, aut si illis se posse pleniùs instruere contendat. Toties denique vel ab ipso fisco edendas esse Tabulas, literásque consignatas, quoties de re Nummaria inter litigantes disceptatur. Cùm enim in iudiciis omnia ferè Reo studere videantur, exorabiles Leges, Iudices in benignitatem flexi, ipsius fori Aura mollior, facilis denique populi suffragatio; hoc insuper illi concessum est, vt ex instrumentis apud Aduersarium depositis, suam vltrò possit defensionem comparare.

At non eadem est Actoris ratio, qui procaci plerumque intentione struit insidias, in quas incautus & animi fidens Reus ex improuiso delabatur. Ac ideò si fortè Actor ab eo quem in ius vocauit, Tabularum prolationem postulet, non tenetur ille se ipsum Aduersario tradere, aut ei tela subministrare, quibus tandem confossus miserationem, sui ipsius proditor, non commoueat. Quamobrem cùm olim Recharedus ille Visigothorum Rex, qui primus Arrianos ad Catholicam fidem traduxit, à Summo Pontifice Gregorio I. obnixè petiisset, vt ex Iustiniani Chartophylacio depromerentur Tabulæ, quibus ille ius suum

aduerſus Mauritium Imperatorem aſſerere, atque vindicare poſſet: ſcitiſſimè quidem Gregorius reſcripſit, non eſſe audiendum Actorem, qui inermis, & imparatus, nec omnibus ſuis inſtructus copiis, ad forenſe certamen accedere præſumit. Verùm cùm poſtulantis Rei diſpar ſit cauſa, diuerſa ratio, hinc eſt vt ipſæ iubeant leges Tabulas exhiberi, nec viciſſim tamen eas ab eodem repoſci patiantur. Hac nimirùm prouida cura laboranti ſubuenerunt, ne fortè miſer ille bis periret, ſi ſuis etiam armis periret. Cæterùm etſi fiſcus, vetante lege, calamitoſi Rei precibus non ſoleat illachrimari, audit tamen illius ſerias calamitates; atque hanc ſemper ſibi boni Principes legem dixerunt, vt ſi qua iuſta cauſa mouerit, Tabularum editio poſcentibus Reis nullomodo denegetur. Itaque hoc ipſo quòd Actor publicus Rationales Codices recuſat edere, nihil omninò his agnoſcit contineri, quod intentioni ſuæ poſſit inſeruire. Et verò qua ille vnquam publica literarum auctoritate, qua memoria conſignata, quibus grauibus teſtimoniis Cardinali Franciſco Barberino interuerſæ Pontificiæ pecuniæ crimen affinget aut adſcribet? Quo colore, quibus iuris præſtigiis Cardinalem quoque Antonium, qui omni prorſus geſtione abſtinuit, qui ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ iura tamquam in liberali cauſa manu aſſeruit, qui triumphos & trophæa in iudicium deferre poſſet, de Ærario expilato reum faciet atque conſtituet? Quo denique legitimo ratóque perſcripto, Principem Præfectum, qui nihil alienum ab officio militari geſſit, in ſceleris ſuſpi-

cionem adducet, aduocabit? officium autem regentis exercitum, non in numerandis pecuniis, ſed in militum muneribus recenſendis; non in exſcribendis Tabulis, ſed in militaribus Copiis conſcribendis; non in ponendis calculis, ſed in agminibus diſponendis; non denique in Ratione ineunda ducendáque, ſed in danda obſeruandáque caſtrenſi diſciplina conſiſtit.

l. officium ff. de re milit.

Sed reuicta rebus, verbis confirmare quid attinet? ſi Rei ſunt, nullam illi quidem deprecantur pœnam; ſi innocentes ſunt, ne inuidia conflagrent, cùm crimine non poſſunt, obteſtantur. Imò ſi quid vnquam per ſordes egerint, ſi delegatas in vſum belli pecunias diripuerint, ſi ſuam diripientibus auctoritatem accommodauerint, ſi denique quas adminiſtrandas ſuſceperint Prouincias nudauerint; non recuſant illi ſe durioribus legum Imperiis permittere, nec diſtrictiſſimos ac planè Caſſianos Iudices detrectant, aut refugiunt. Liceat tamen eos reijcere quos à cauſa habent auerſos, & quorum hactenùs offenſas, nullo ſuo merito, ſubierunt atque ſuſceperunt. Meminerit ergò qui clauum in Eccleſiæ Naui tenet, cuius à nutu ipſæ pendent leges, nihil reis qui in Traiani tempora inciderant, fortunatiùs euenire potuiſſe, quàm quod iniquos eiurandi Iudices plenam illis poteſtatem Princeps optimus fecerat. Egregia ſanè, manſuráque in animis hominum in æternitate temporum, tanti laus Imperatoris, quo regnante legéſque populis dictante, eodem planè foro Principatus & libertas vtebantur. Sed & in caſtrenſi Iuriſdictione, quæ tamen omnia manu potiùs quàm iure diſceptat, nulli vnquam militum,

l. 1. C. adl. Iul. Repetund.

Plin. in Paneg.

militum, obnoxij Tribuni iniquitatem non licuit effugere. Quamquam hæc, etsi nec ciuili, nec militari iure perscripta essent, alia tamen potentiori lege, (cuius ipse Deus inuentor, sator, & disceptator est) longè antè sancita sunt atque constituta. Hæc est illa Parentis Naturæ nata quidem, non Albo Prætoris lex inscripta, cui qui parere noluerit, ipse se fugiet & naturam hominis aspernabitur, atque hoc ipso maximas luet pœnas, etiamsi cætera euaserit supplicia. Quid autem magis naturale est, quàm eorum iudicium respuere, qui cùm infenso sint & inimico animo, Iudices tamen sedent, ac pro iure summæ Cognitionis inquirunt, decernunt, atque diiudicant. Hoc verò quantum abest à moribus, & ab ipsa Iudiciali Priscorum Quiritum formula: siquidem neminem illi voluerunt, non modo de existimatione cuiusdam, sed nec pecuniaria quidem de re minima esse Iudicem, nisi qui inter Aduersarios conuenisset. M. Tul.

At non iisdem fori ominibus iudicium accipere, Cardinalibus Barberinis, Principíque Præfecto datum atque concessum est. Enimuerò cùm iam ab ipso litis exordio, iis se Iudicibus quos meritò suspectos habebant, negare potuissent certaturos; à tàm specioso laborantis causæ subsidio, exclusi atque deiecti sunt. Ecquis verò, tutus vnquam erit ab illis Cognitoribus apud quos, omni forensium Auspiciorum iure turbato, valet sententia sine consilio, animaduersio sine auxilio, damnatio sine defensione, pœna denique siue prouocatione. Senserant nimirùm innocentissimi Rei suam Pontificiis Disceptatoribus de-

fensionem, non superuacuam tantùm, sed etiam inuisam esse; ac proinde à Cameræ Apostolicæ subselliis, ad Apostolicam Sedem iudicium detulerunt, precésque hactenùs irritas, ac malè tentatas ad ipsum Summum Pontificem iuris & Æquitatis Responsa dantem, conuerterunt. Verùm quamuis certior nulla sit innocentiæ professio, quàm religiosi Principis elegisse præsentiam, adempta tamen Reis appellandi facultate, omnis illis in posterùm implorandæ iustitiæ fiducia præcisa est. Viderint ergò *legales domini*, qua ratione, quo casu factum sit, vt Romanæ leges, ne quidem in auito Regno, ius suum hac in causa potuerint obtinere. An fortè obliti sunt, quid sonaret olim vox hæc antiquæ vindex libertatis, & Principis Patrona Ciuitatis, *prouoco*? Hæc vox, inquam, oppressæ innocentiæ velut Tutelare Numen, quæ tot illustres Ciues, tot præstantes viros Reipublicæ seruauit, asseruit, vindicauit? Certè, antè Tarquinium exactum, ab ipsis etiam Regibus appellatum fuisse dubitari non potest, cùm is quem de interfectæ sororis crimine Tullus damnauerat, ad populum prouocato iudicio, exemptus noxæ pœnæque fuerit. Sed etsi mandatam à Rege iurisdictionem accepissent Duumuiri, ab iis tamen interdùm, tanquam ab obnoxiæ sententiæ Iudicibus, ad ipsum Regem, vel ad populum prouocare, conniuentibus Majestatis legibus, concessum erat. Hanc nimirùm benignam fuisse ferunt Seruij Regis interpretationem, vt qui leges conderet, pari majestate legibus obtemperaret. Quare cùm fortè leges Consulares atque populares, quæ de

Liu. 1. Dec.

prouocationibus latæ fuerant, Decemuiralis potestas euertisset, non illas solùm quasi postliminiò restitutas fuisse scimus, sed ità in posterum munitas, vt nullus deinceps Magistratus sine prouocatione renunciari posset. Inclinata tandem, labentéque Republica Appellationi quoque locus erat, cùm non iure Magistratus, sed ex mandato & delegatione Principis, eiúsque vice disceptarentur causæ. Harum quippè Cognitionem, sub ipsum auspicati Imperij ortum Augustum vsurpasse, ac etiam Præfectorum Prætorio iudicia emendasse accepimus. Quo factum est, vt inter tot insignes, atque magnificos Imperatoris titulos, & ille pariter *Magnus Iudex* diceretur, quo certè nullum optimi Principis nomen præstantius, *aut gloriosius* reperiri potest. Quamuis autem à Senatu prouocantes admitti noluerit aliquando Hadrianus Imperator, ne fortè à seipso, qui Senatorum numero adscribi non dedignabatur, concessa videretur prouocatio: mansit tamen illibata Principis authoritas, ita vt ille Appellationum Iudicia sub nomine Consultationum, præsens ipse in Senatu pro summa liberáque Iurisdictione, induceret aut confirmaret.

Atque hoc quidem in maioribus causis, quales erant Liberales aut Centumuirales, singulari iure receptum erat; adeò vt huiusmodi iuris auxiliis & alleuamentis eodem ferè modo Prouocatores vterentur, quo solent Medici potentissimis illis vti remediis quæ *Deorum manus* vocant, nusquam nisi magnis ac desperatis morbis admouendas. Certè tàm malè mulctati, tàm inclementer acerbéque à Pontificiis Disceptato-

ribus Cardinales Barberini, Princépsque Præfectus excepti sunt, vt sola salutaris Summi Pontificis manus, tot iam vulneribus sauciatæ causæ opem ferre, ac vnicè mederi possit. Hanc itaque, tanquam potentiæ fideíque ministram, imò quasi iustitiæ sceptrum suppliciter implorant. Hanc vt in liberali causa, liberalem ac velut ipsius libertatis aram venerantes colunt, & adólent. Quid enim spei eorum esset innocentiæ, nisi Innocentium haberent Iudicem, qui sola manus majestate humanis omnibus malis subuenire, cunctósque certantium motus ac tumultus potest compescere. Is enim est apud quem, etsi fortè ab Aduersariis gratiâ vincuntur, iustitiâ certè neque vincentur, neque vinci debent. Qui enim tantam dignitatis amplitudinem pari virtutis accessione cumulauit, patietur nunquam, vt inde nascantur iniuriæ, vnde omnia passim iura profluxere, aut etiam vt ibi sit exitium, vbi præsidium afflictis esse debuit. Reos quippè ab omni exercendæ prouocationis facultate submouere, quid aliud est, quàm vltimum laborantibus subducere præsidium? quàm certum oppugnatæ obrutæque innocentiæ perfugium amouere? quàm denique forense naufragium passis, littus ac salutis portum præcludere?

Itaque si vlla fœlicissimæ memoriæ Vrbani VIII. recordatio, Innocentij successoris augustissimi subierit animum; si calamitosis atque lapsis vllam ille deberi putat gratiam; si se denique inter benignum Patrem, & æquum Iudicem partitum exhibuerit, eadem opera ius suum Apostolicæ Sedi asseret atque

vindicabit. Hoc enim illi decus proprium diuina sorte obtigit, vt illius potentiam sentire nemo debeat, nisi leuatione periculi. Intereà hoc nobis publica voce dicere permittamus, id non leues admirationes in pacis amantibus hominibus efficere, quòd ab illo ipso tempore, quo Cardinales Barberini in Galliam se receperunt, eò Iudicum iræ processerint, vt exaggeratis, maioréque cumulo adauctis pœnis, ne alimenta quidem (quæ si non homini, humanitati saltem debentur) his Cardinalibus, Principíque Præfecto relicta fuerint. Vt certè, quasi Romæ tumultus Gallicus nuntiatus esset, dissolutam omnem Iurisdictionem, ipsósque Iudiciorum mores Princeps Populus viderit conturbatos. Sed quod magis mirandum est, innocentissimos Reos etiam inuidia Regiæ gratiæ onerare, Gallorúmque amicitia, quæ gloriæ esse debuit, verti tamen in crimen videtur. Verùm cum ea sit Galliæ fortuna, vt quod illa tuendum non suscepit, suo fato sit periturum; iam vice versa, ex illius tutamento certa spes est, cessuram tandem iustitiæ gratiam, innocentiæ calumniam, mendacium veritati. Imò iam tempus adest, quo quicquid irarum cœlestes animi hactenùs conceperunt, in Barbarorum Capita effundetur. Iam habet in consilio fortunam publicam Christiani nominis sanctissimus Assertor Innocentius Pontifex, & ex pharetra, quam Christus sibi circa femur accinxit, electas extrahens sagittas, eas demum in teterrimum & imanissimum hostem emmissurus est.

Signetur ergo hoc præcipuo Titulo Innocentij X.

Pontificatus; addatur decus hoc populorum Annalibus, explicatis Romanis armis, non solùm fuisse repulsum, fugatum, auersum Orientis Tyrannum; sed duas etiam Nationum Arces, duas ciuitates consanguineas ac sororiantes post longa diuortia iterùm copulatas, ac in antiquam tandem concordiam adductas. Hic autem nemo nobis succenseat, si vbi Christianæ Reipublicæ defensio agitur, prisco more Relationem egressi, memoria repetamus faustos illos, lucidósque dies quibus olim Roma sui fœcunda, Imperio potens, legibus pollens, vrbem sui similem atque æmulam magno nixu parturiit. Quibus, inquam, ipsa fortuna, quæ tot Regionibus lustratis, ad Tyberim quasi fatigata versatilem globum sistere, ac figere destinarat, suas iterùm resumpsit alas, & potentiam suam non inuita partita est. Quibus denique diuina quadam virgula, ducibus Aquilis Byzantium transportata sunt Imperatoris Constantini vota. Quo scilicet *Magnæ spes altera Romæ*, in Feraci Campo, & mari opportuno se attolleret, atque magnificis amplificata Templis, Basilicis, Theatris, Circis exornata, Deiparæque Virgini consecrata, matricis & consortis suæ vrbis frontem gereret rediuiuam. Hanc nimirùm in occiduis partibus vespero pulchriorem; istam in Orientalibus gratiorem lucifero licuit intueri. Et nunc quidem, ipsum Caput Orbis altero quasi oculo videtur orbatum, nec sine Constantinopoli plena luce frui Roma potest. Altera quoque ex lancibus, quas iustitia præ manibus tenet, suspensa hæret, nec proprium habet locum, vbi

43

æquato examine libra paulatim inclinata requiescat. Sed iam fata viam inuenerunt, qua nimirùm gens effera atque truculenta sub Christianis cadens armis, suam videbit vlcisci Tyrannidem.

Atque hæc sunt pia prudentis cuiusque viri vota; Hæc simul innocentiæ defensio; hæc legitimæ disceptationis oratio; hæc vna denique vox veritatis est. Quòd si æternùm Iudicum aures obsurdescant, audient posteri, omnique eos absoluent culpa, qui non priùs inter externas Prouincias indulgentem sibi matrem quæsiuerunt, quàm Roma eis nouerca facta est. Erit tamen, erit profectò tempus, cùm bono euentui litare concedetur, & quæ mutauit fidem fortuna, pudore tandem victa in tàm augustorum Reorum opem conuertetur.